



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quando, & qua ratione dantur? parag. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

## CAPUT VIII.

## De literis Dimissorias, &amp; Commendatitiis.

## §. I.

Quando, &amp; quomodo dantur.

1. Statuitur à Tridentino, a ut si proprius Episcopus sit æger, seu alias impeditus, nam illud, si sit æger solum ponitur à Tridentino exempli gratia ex Barbofa b) possit dare licentiam, ut ordinandus promoveatur ab alieno Episcopo, sive indeterminate à quocunque, sive ab hoc, vel illo determinate.

2. Hæc licentia dari quidem potest oretenus, quia Concilium requirit, dumtaxat consensum proprii Episcopi, sed solet ad majorem, facilioremque fidem faciendam expediri per literas patentes, quæ vocantur *Dimissorias*, quia subditum dimitunt ad alienum Episcopum; appellantur etiam *Reverenda*, ob reverentiam illi debitam.

3. Præter memoratam licentiam, debet ordinandus habere à proprio Episcopo suorum morum approbationem, quæ dari consuevit, interdum in ipsismet *Dimissorias*, interdum separatim. Quando autem sunt separata, vocantur *literæ Commendatitiæ*, vel *Testimoniales*, quia in his Episcopus suum subditum commendat alieno, de quæ ejus probis moribus testificatur.

4. Ultramontani, id est, qui nati sunt ultra Montes Alpium, quales sunt Hispani, Lusitani, Galli, Germani, &c. ut item, qui nati sunt extra Italiam, si velint ad quemcumque Ordinem, etiam Minorem, etiam primam Tonsuram intra Italiam promoveri, debent sub pœna suspensionis, aliisque pœnis insertis à Decreto Urbani s Octavi non solum ostendere *Dimissorias*, ut dictum est à suis propriis Episcopis sibi concessas, sed easdem in super recognitas, probatas, & subscriptas à Nunciis, seu Collectoribus Apostolicis commorantibus in loco, unde ordinandi discesserunt, & deinde item recognitas à Vicario Generali Urbis Romæ.

5. Si sustineas Siciliam in favorabilibus venire sub nomen Italiæ, hoc Decreto Siculus

eVrb. VIII.  
Secr. 1624  
12. Dec.  
quod per  
extensum  
affert  
Marchin.  
de Ord. tr.  
1. p. 5. c. 11.  
nu. 14.

ordinandus non comprehenditur, quia in hæc probabili sententia, quam ego à alibi docui, non est natus extra Italiam.

6. Denique hæc constitutionem non afficere Religiosos, quia nulla fit in illa Regularium mentio, fuisse decisum Florentiæ tenet Marchinus. Quare hos habentes *Dimissorias* à suis Prælatibus, à quocunque Episcopo Italo ordinari posse concludit.

## §. II.

Quis possit prædictas literas concedere.

EPISCOPUS, ET SIMILES  
Ecclesiasticam Jurisdictionem  
habentes in subditos.

1. *Dimissorias* concedit proprius Episcopus, sive originis, sive Beneficii, sive Domicilii. Immo etiam Abbas, vel Prior, qui habeant quasi Episcopale, & distinctum ab Episcopo territorium. Item Vicarius Generalis, si ab Episcopo ad id habeat speciale mandatum, vel si Episcopus agat in remotis. Id, quod evenit (ait f. Sanchez.) quando Episcopus invenitur extra Provinciam in partibus remotis per duas diætas, licet Barbofa g sentiat tunc Episcopum dici in remotis agere, quando est ultra Montes (intellige etiam, quando est ultra mare) sufficit enim (ait) quod hujusmodi remotio sit inconveniens ordinando. Sed nimis indistinctè loquitur Barbofa: dicere distinctius, quando hujusmodi remotio prudenti hominum existimatione notabiliter esset ordinandis incommoda. Putabis enim remotè agere Archiepiscopum Messanensem, si fortè inveniarur Regii in Calabria, brevissimo freto à Sicilia distans?

2. *Commendatitiæ*, sive *Testimoniales* literas puto, de jure non posse dari, nisi ab Episcopo domicilii. Ratio est, quia mores, qui in his literis sunt approbandi, solum illi soleant esse noti, non aliis.

CAPITULUM  
Sede Vacante.

3. Tridentinum h sic statuit. Non liceat Capitulis, Sede vacante, infra annum à die vacationis

d Lib. 5.  
mei Conf.  
c. 7. §. 1. & 2.  
16. in edic.  
Rom.  
c. March.  
h. c. nu. 11.

f. Sanchez.  
conf. l. 7.  
1. du. 20.  
nu. 4.  
g. Barbofa.  
p. 2. §. 1.  
Vide p. 2.  
all. 7. 13.

h. Trid.  
7. c. 13. de  
Reform.